



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Excommunicatio quarta. vii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

res, de prædatores, & homicidas. N. in nomine patris, & filij, & virtute spiritus sancti, nec non autoritate episcopi per Petrum principem apostolorum diuinitus collata, à sanctæ matris Ecclesiæ gremio segregamus, ac perpetuæ maledictionis anthemate condemnamus. Sintque, maledicti in ciuitate, maledicti in agro, maledictum horreum eorum, & maledictæ reliquæ illorum, maledictus fructus vëtris eorum, & fructus terræ illorum. Maledicti sint ingredienti, & maledicti sint egredientes. Sintque, in domo maledicti in agro profugi, veniantque, super eos omnes illæ maledictiones quas dominus per Moysen in populum diuinæ legis præuaricatorem se esse missurum intentauit, sintque, anathema maranatha. i. pereant in secundo aduentu domini. Nullus eis Christianus aue dicat. Nullus presbyter Missam cum eis celebrare præsumat, vel sanctam communionem dare. Sepultura asini sepeliantur, & in sterquilinum sint superficies terræ. Et sicut hæ lucernæ de manibus nostris proiectæ hodie extinguuntur, sic eorum lucerna in æternum extinguatur: nisi fortè resipuerint. & Ecclesiæ Dei quæ leguntur per emendationem & condignam pœnitentiã satisfecerint.

Excommunicatio quarta. Cap. VII.

*Ex cõcil.
Arausic.
cap. 5.*

Canonica instituta, & sanctorum patrum exemplata sequentes, Ecclesiarum Dei violatores. N. autoritate Dei, & iudicio sancti spiritus à gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & à consortio totius Christianitatis eliminamus, quousque resipiscant, & Ecclesiæ Dei satisfaciant.

Reconciliatio excommunicati. Cap. VIII.

Ex eodẽ.

CV aliquis excommunicatus, vel anathematizatus pœnitentiã ductus veniam postulat, & emendationem promittit, episcopus qui eum excommunicauit, antequam ianuam Ecclesiæ venire debet, & duodecim presbyteri cum eo, qui eum hinc inde circumstare debent. Vbi etiam adesse debent illi, quibus iniuria, vel damnum illatum est. Et secundum leges diuinas oportet damnum commissum emendari, aut si iam emendatum est, eorum testimonio comprobari. Deinde interroget episcopus, si pœnitentiã iuxta quod canones præcipiunt perpetratis sceleribus suscipere velit. Et si ille terræ prostratus veniam postulat, cul-